



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

A Spiritu Sancto miris decoratur donis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

nes, cum ad eum accesserint, re-
dundat! Sed nunc ad Philippum re-
deamus.

Iesu Christi anno Pauli III. Pap. anno Aetatis anno
1544 10 29

A Spiritu Sancto miris decoratur donis.

Singulis diebus Philippus Spiri-
tum Sanctum quam poterat ar-
dentius precabatur, ut eum suis donis
ornaret, nullumque abesse sinebat
diem, quin eius opem imploraret: nec
in cassum haec fuerunt: Nam laicus
cum esset, annum vitae trigesimum
non attingens, Christi scilicet an-
no millesimo quingentesimo qua-
dragesimo quarto, ea repente spiri-
tus vi repleti se sensit diuinitus,
eoque impetu, ut cor illico sibi intra
corpus saltitare coeperit, eoque ar-
dore inflammari, ut eum natura inusi-
tata quadam cordis palpitatione,
omnino se ferre non posse significa-
ret. Quamobrem benignus Domi-
nus, quod illum ad plurimorum salutem
diutius

diutius conseruaret, confractis atq;
in pugilli, eoque maiorem amplitu-
dinem, clatis duabus sinistri lateris
costulis, quarta scilicet, & quinta,
eiusdem cordis sinum, quò id libe-
rius ageretur, mirū in modum am-
pliauit. Erat istiusmodi fractura in
anteriori parte pectoris, vbi costę in
cartilaginem desinunt. Quo extē-
pore adeò vehementer amplius
quingenta totos annos agitari,
concutique cœpit assiduè plus mi-
nusue vt mente rapiebatur in Deū,
vt non modò toto corpore contre-
misceret, verum etiam lectulus ipse,
aliāque omnia, quibus ille inside-
bat, quasi terrā motu acta eo orante
quaterentur. Quæ cum illi (cui cor-
pus quadratum erat, neque gracile,
neq; obesum) sine vlllo doloris sen-
su euenerint, & ad extremum vsq; iē
spiritū sine dolore manserint, (nul-
læ enim nec intus nec foris punctio-
nes, doloresuē sentiebantur) omni-
no supra vires naturæ fuisse, ac diui-
num

num prorsus miraculum, Medici omnes, qui eius dum viueret, curationi, & postea corporis sectioni interfuere, vna voce testati sunt.

Mirum profectò erat hominem videre, ætate cōfecta, plus quinquaginta annos, continuas, voluntariasque cordis concussiones, palpitationesq; patientem. Crederes illum humana iam omnia fastidientem, Daudis instar Domino dicere; Quis mihi dabit pennas sicut colūbæ, & volabo, & requiescam? Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

Psal. 54.

Psal. 129.

Huius præterea doni cœlestis vi, tanta quoad vixit, spiritus, diuinæq; dulcedinis affluentia replebatur, vt mentem à cœlestibus auocare, animumque sæpissimè ad terrena conuertere, vt sacrum facere posset, cogeretur. Quod non eo solum referente cognouimus, sed re ipsa comperimus: Quāquā enim ille omnē

adhibebat curam se à diuinis auocandi, cum rem sacrã facturus pergeret, vt vni & alteri ex iis, qui sibi noti erant, indicauit, vix tamen, quod nos plus millies hisce vidimus oculis, sacrificium absolvere poterat. O magnam Sancti Spiritus vim! Alij, etiam sanctissimi viri horis prius aliquot precationi impensis, præuia, diligentique præmissa præparatione, omni ope contendunt, vt aliquid pij in Deum affectus cum rem sacram acturi sunt, acquirant; hic autem his adeo abundabat, vt non modò vlla egeret præparatione, verumetiam cum tot, tantosq; diuinitus immisos ardores sustinere nequiret, animum suum, quam maxime poterat, ab illis diuellere cogeretur, Deumq; ne maiores tribueret, in dies rogare.

Id præterea in illo is spiritus efficiebat longè mirabilius, vt eum precibus insistentem sublimè tolleret.

Media vero hyeme, quo tempo-

re ma-

re maximum in vrbe frigus esse so-
let, ad postremum vsque diem (quis
crederet?) ita derepente eo orante
ipfius cor, corpusq; diuino æstuabat
igne, validissima, ne ætu necaretur,
refrigeratione indigeret. Hinc il-
le octogenarius modicissimo cibo
contentus, omni propemodum na-
tuo calore destitutus, vt eam amo-
ris flammam aliquo modo restrin-
gueret, pectus nudare, fenestras,
foresque cubiculi media nocte pan-
dere, linteisque ac flabellis, aliaue
opportuniore aëris agitatione vt
ad se refrigerandum sibi necesse e-
rat, & quidem ni cordi, interno, ac
diuino consumpto calore, hisce re-
bus festinanter subuenisset, repen-
tinò certe interiisset.

In iisdem rebus hoc fortasse etiã
ponendum, causam quodam die
huius tam mirę, ac nouę eius cordis
agitationis à Federico Cardinale
Borromeo interrogatus, presertim-
q; nū dolore aliquo in ea sustinenda

Vitæ lib. I.

C 2

affi-

afficeretur; à Spiritu Sancto eam accepisse modeste respondit. Laicus cum essem, dicere cœpit, Sanctum Spiritum quàm suppliciter poteram, quotidie rogare consueueram, ut mihi opem ferret, animumque meum donis suis cumularet. Quodam die cum eum de more orarem, meas exciperet preces, ipso tandem volente factum est, ut cordis agitatio, de qua rogas, quæ nullos vnquã dolores mouit, initium habuerit, simulque adiunxit, possem equidem eam cohibere, sed ne animum, inter orandum, à diuinis auocare, atq; ad eum motum cordis comprimendum referre cogar, idcirco ab ea re desisto.

Illud hic addam, quòd eius cor adeo huius agitationis vi æstu feruebat, ut calor ex eo proueniens ad totum plerumq; corpus sese difunderet.